



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Precandi studium Canisij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

sent, ad odium religionis abutebantur. Nec in
præsens impedimētum rebus gerendis maius in-
ueniebat Canisius, quàm Ferdinandi Imperato-
ris apud Pontificem Paulum offensam: quam vt
obliteraret, nihil nō coram per se apud Cæsarem,
nihil non apud Pontificem per Patres Romanos
mouit. Hoc item vigilandum acrius erat in toto
conuentus cursu ad religionis incolumitatem
dirigendo. Qui cum è sententia parum proce-
deret, auctis periculo vigiliis, curis, conatibus,
& ante omnia Numinis placamentis, præter ea,
quæ à Præposito Generali, totaque Societate
postulauit, indixit in Prouincia sua quotidia-
nam per Litanias Sanctorum inuocationem,
multumque aliarum precum, multum sacrifi-
ciorum: denique & certas verberationes, quæ
magno ardore suscipiebantur à sociis; eoque
acceptiores, vt patet credere, accidebant Deo,
quo minus tale seueritatis genus tempestate ea
Germani amabant. Et valuisse apud summam
bonitatem pios gemitus, conatusq; ipsemet ani-
maduertit Canisius. Erexit animum Ferdinādus
Cæsar, mirificeq; excitatus est, vt conscientia suæ
in religionis causa vellet omnino satisfactū: mul-

*Precandi Au-
ditum Canisij.*

*Eiusdem labo-
res in Augu-
stano conuētū.*

X

tum-